



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. De Electione communi, seu Capitulari, & solemni.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

privatis schedas fit Scrutinium, quo in casu pro probitate eligentium, juramento sæpius ad dignissimum eligendum adstrictorum præsumitur *Clement. 1. §. de muni de V. S.* & si nullum dubium super habito Scrutinio, aut qualitatibus nominati, &c. moveatur, sufficiat sæpe generalis aliqua collatio.

## §. IV.

## De Electione communi, seu Capitulari, &amp; solemnii.

Collatione facta, si appareat, in quem major, & sanior pars Capituli consenserit & dignus hic sit, ac habilis, fieri debet statim, eodemque contextu, antequam ad alia extranea divertatur, nisi necessitas aliud jubeat, decretum electionis, & omnium nomine ab uno, qui præest V. G. Capitulo, vel alio quocunque juxta loci consuetudinem, aut Capitularium voluntatem, publicè promulgari, quis sit electus, uti iterum ex relat. *c. quia propter*, habetur; forma autem Decreti hujus, & hujus publicationis communiter hæc est: *Ego N. nomine meo, & omnium eligentium mibi que consentientium, invocata gratia S. Spiritus, in Episcopum, vel Abbatem hujus Ecclesie N. eligo & electum pronuntio, & coram vobis publico, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Et hinc Clandestinae electiones, quæ non publicantur in Capitulo, aut quæ fiunt clamculum in locis seu conventiculis occultis, reprobantur in relato *c. in Genesi*, & in *c. Ecclesia 48. b. 1.* quæ sine verbali promulgatione facta fuit, vel deportationem V. G. ad aram, &c. si tamen sint Electiones Prælatorum Ecclesiasticorum, in

quibus observari debet forma *c. quia propter*.

## §. V.

## De Electione faciendâ à majore &amp; saniore parte Capituli.

**R**esp. 1. à minore Capituli parte facta electio, quæ jure naturali etiam irrita est, non potest convalescere, per accessionem votorum, si ea ab aliis fiat, post decretum electionis communis factum, & solemniter promulgatum (ut patet ex *c. auditis 29. b. 1. quod enim initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. juxta Reg. juris 29. FF. de Reg. juris*) si tamen talis accessio fiat post promulgatum quidem scrutinium, nondum tamen factum aut promulgatum, electionis Capitularis decreto, eo quod ex Scrutinio illo nulla Capitularis electio fieri possit, valida erit electio, si major pars Capituli in unum aliquem taliter consentiat. Consentit autem major pars Capituli in unum consentire, non quidem, si plures Capitulares tantum sint pro aliquo, & pro aliis sint pauciores, sed pro quo stat major pars Capituli presentis, ita ut plus, quam dimidia pars presentium, & volentium eligere, in unum aliquem consenserint, modò duæ partes eorum, qui volunt, & possunt adesse, presentes sint, prout patet ex relat. *c. Ecclesia 48. b. 1.*

**R**esp. 2. Requiritur quidem ad validam electionem copulative, ut à majore (quo ad numerum) & saniore (quo ad auctoritatem & zelum eligentium, ac electi meritum) parte electio fiat, ita ut à majore quidem parte facta electio non tamen à saniore, & vicissim, nulla sit, pro-